

aspides sunt igniferi, qui masculus et femina nuncupantur, et dicuntur pyroboli, qui nimirum cum a se invicem procul sunt, non accenduntur; si vero femina appropinquaverit masculo, profluit ex eis ignis egreditur, ita ut omnia que circa montem sunt, flammis vaporantibus, exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur ut, si consumi libidinis incendio nolimus, muliebri aspectu speciem declinemus. » Huc facit festiva sed vera gnome R. Hillel in *Pirke Avoth*, hoc est in *Sententis Patrum*, c. 11: « Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qui multiplicat opes, multiplicat curas. Qui multiplicat servos, multiplicat rapinas. Qui multiplicat feminas, multiplicat sorflegiam. Qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem. » S. Cyprianus, *De Singul. Cler.* « De carbonibus, ait, scintille dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiam pestilentiam, quam Salomon sine comparat, dicens: *De vestimentis procedit tineæ, et a muliere incipit virus.* » Et superius: « Quanti et quales episcopi et clerici, simul et laici, post confessionem victoriarumque calcata certamina, post magna et signa, vel mirabilia usquequaque monstrata, noseuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. Quantos leones domuit una infirmitas delicata, que cum sit vilis et misera, de magnis efficit predam. » *Verum enim visu est basiliscus, voce incantat, visu dementat, troque perdit et necat.* Hinc S. Franciscus, teste S. Bonaventura, studioso suos monebat ut caveant a feminis: « Quia, inquit, colloquium cum femina extra confessionem, eamque brevem, inutile est et periculosum. » Et Noster B. Xaverius: « Majori, ait, periculo quam fructu aditur femina. »

29. QUOD SI OCELLUS TUUS DEXTER SCANDALIZAT TE, ERUCE EUM, ET PROJICE ABS TE; EXPEDIT ENIM TIBI UT PEREAT UNUM MEMBRORUM TUORUM, QUAM TOTUM CORPUS TUCM MITTATUR IN GEHENNAM.

30. ET SI DEXTERA MANUS TUA SCANDALIZAT TE, ASCINDE EAM, ET PROJICE ABS TE; EXPEDIT ENIM TIBI, UT PEREAT UNUM MEMBRORUM TUORUM, QUAM TOTUM CORPUS TUUM EAT IN GEHENNAM. — Patet utramque hanc esse parabolam, a duobus membris prestantissimis et homini maxime necessariis, scilicet dextro oculo et manu petitam, qua significat abjiciendum esse omne id quod ad peccatum nos sollicitat, quantumvis charum, pretiosum et necessarium sit. Ocelli autem primo meminit, quia de eo paulo ante dixit: « Qui viderit (utique oculo) mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. »

Primo igitur, S. Chrysostomus, *homil. 17*, per dextrum oculum et manum accipit mulierem amicum, de qua jam sermo præcessit; illam enim abjicienda est, si nos ad libidinem suo aspectu, voce aut gestu provocat. Secundo S. Augustinus, *lib. 1 De Serm. Domini in monte*, per dextrum oculum

et manum accipit quemvis amicum et ministrum, etiam necessarium. Tertio S. Ilierarius, Theophylactus hic; Cyrillus, *lib. XII in Joannem*, cap. xxvii; S. Athanasius (vel quisquis est auctor) *ad Antiochum, Q. 70*; Paschianus, *epist. 3*, accipiunt parentes et cognatos; horum enim conversatio resecauda est, si nos ad peccatum trahit. Quarto, S. Hieronymus accipit affectus et vitia animæ. Quinto, Auctor *Imperfecti*, per dextrum oculum et manum, accipit mentem et voluntatem; per sinistram, sensum et carnis appetitum; tam enim mens et voluntas a curiosis et noxiis avocanda est, quam sensus et caro a cupiditatibus carnalibus.

Verum simplicius et planius dextrum oculum et manum hic proprie accipias, sed ita ut parabola subserviat et parabolice explicetur. Est enim hic continua parabola in qua Christus alludit et respicit ad concupiscentiam visus, de qua paulo ante egit. Occurrit enim tacite objectioni, *q. d.* Objicies mihi: Si oculus et visus est mœchus, cum videt mulierem ad eam concupiscendum, quid ergo cum oculis mihi a Deo ad videndam datis, agam?

Rursus est metaphora petita a chirurgo, *q. d.* Sicut lesi et acri curant ut chirurgus membrum etiam nobilissimum et summe necessarium, quale est dexter oculus et manus, excindat, si inde pendeat totus corporis salus; ita et vos, o fideles mei, moneo ut quodvis damnum prius subeatis, quam culpam et peccatum præsertim lethale committatis, ut scilicet quidquid vobis est offenditio trahitque ad peccatum, licet tam charum et necessarium sit quam dextra manus vel dexter oculus, id plane a vobis reseccetis et abjiciatis, quantumlibet incommodi et doloris id vobis inferat; v. g. reseccetis aspectum oculi etiam alias pudicum, familiaritatem et societatem cognatorum, uxoris, filiorum, parentum alias necessarias, si illa vobis peccati creet periculum; imo si aliter peccatum effugere nequeatis, ipsum oculum et manum vobis reseccate; præstat enim monoculum ingredi in coelum, quam binoculum mitti in gehennam. Sed quia semper aliter peccatum vitare possumus, quam membrum reseccando, hinc illud reseccare et se mutilare non licet; unde Origenem, qui se castravit pudicitie causa, damnavit Ecclesia. Denique concupiscentie cuique reseccande et mortificande, adeo vivaciter et tenaciter oculis et corpori, imo ipsi anime inherent insitæque sunt, ut sine ingenti vi et doloris sensu evelli nequeant: quare qui eas reseccat, ita dolent ac si ipsum oculum vel dentem sibi eruerent. Norunt hoc experti; inde dicitur mortificatio, quod mortis sensum doloremque pariat.

Ita ad litteram S. Aquilinus et S. Audomarus (ut habet eorum Vita apud Surium), cum essent cæci et per miraculum visus eis a Deo esset restitutus, rursus petierunt a Deo oculos sibi

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

simili seseque reddi cæcitati, ut carenter distractionibus, concupiscentiis et tentationibus quas creant oculi. Amplius ex peculiari Dei instinctu fecit virgo illa apud Sophronimum in *Prato Spirit.*, cap. lxx, que oculos sibi eruit misitque amasio se persequenti, eo quod oculis ejus capere; quo dono ille compunctus, lasciviam oculorum a se reseccavit, imo vitam seculari in monasticam commutavit.

S. Antonius Didymum cæcum, quem S. Hieronymus vocat suum videntem, id est præceptorem, rogavit, num doleret de cæcitate? Illo tacente et innuente, subjicit: « Vir prudens non debet dolere quod careat oculis, quos habent mœchæ et apes, sed gaudere quod eo magis habeat apertos oculos mentis, quibus videat Deum et divina. » Ita Palladius in *Lausiaca*, in Vita Didymi.

Porro, licet membrum abscindere contagiosum, ne totum corpus inficiatur, sicut licet vivum occidere noxium republicæ, quia pars per se ordinatur ad bonum totius; quare ipsa se exponere debet morti pro toto. Membri autem abscissio, aut occisio sibi, non ordinatur per se ad evasionem peccati et salutem, nec ad id est necessaria, quia alia ad hoc sunt media; unde se mutilare vel occidere non licet. Vide Lessium, *De Homocidio sui*.

Vers. 31. 31. DICITUM EST AUTEM: QUICUNQUE DIMISERIT UXOREM SUAM, DET EI LIBELLAM REPUDI. — Vide quo de libello repudii fuisse dixi, *Deuteronomii* xxiv. 1.

Vers. 32. 32. EGO AUTEM DICO VOBIS: QUIA OMNIS QUI DIMISERIT UXOREM SUAM, EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA, FACIT EAM MOECHAM (Arabicus: *dedit eam in fornicationem*), ET QUI DIMISSAM DUXERIT, ADULTERAT. — Christus hic corrigit et perficit legem repudii. Primo, quia lex facile concedebat repudium multas ob causas. Christus vero tantum id permittit ob causam fornicationis, si conjux sit fornicata, id est adulterium commiserit; ab adultero enim innocens discedere potest, juxta illud:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Secundo. Secundo, lex tam repudiare quam repudianti concedebat secundas cum alio nuptias. Christus vero illas utrique negat. Tertio, lex soli viro et marito concedebat jus libelli repudii; Christus vero in hoc jure matrimonii virum et feminam æquat et pares facit, uti docet Apostolus, *I Corinth. vii. 4*.

EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA. — Nonnulli per fornicationem hic accipiunt quodlibet peccatum; hoc enim est spirituales quædam cum creatura quæpiam, relicto Deo creatore animæque sponso, fornicatio. Ita S. Augustinus, *lib. 1 De Serm. Domini in monte*, et Origenes hic, *tract. 7*. Verum id nimis est liberale et laxum: unde jure Canonico, cap. *Quævisit, De Divortio*, definitum est divortium non licere ob furtum vel aliud crimen. Quocirca

S. Augustinus idipsum, *lib. 1 Retractor.*, cap. xix, retractat, saltem dubitat.

Alii per fornicationem accipiunt infidelitatem; hæc enim passim a Prophetis vocatur fornicatio, scilicet spiritualis et mystica.

Verum interpretres passim præsci et novi proprie hic accipiunt fornicationem que in conjugata est mœchia, sive adulterium; quare per fornicationem hic intellige adulterium, sodomiam etiam cum conjugate, sed renitente, et omnem illicitum concubitum, ut patet cap. *Mœchitres*, 32. *Quæst. IV*.

Dices: licet uxorem dimittere, si ipsa maritum ad aliquod scelus petrahare conetur, ut habetur cap. *Quævisit, De Divortio*, et Christus hic satis indicavit vers. 20. Item si ipsa sit venædica, aut mortem marito machinetur; ergo non ob solam fornicationem licet eam armittere. Resp. Id verum est; Christus tamen hic solam fornicationem divortii causam assignat, tum quia hæc sola est propria divortii causa in conjugio illicite directe repugnans, cum reliquæ causæ generales sint, a quavis societate Christianum liberantes; tum quia repudium adultere etiam penitentis concessum est perpetuum, adeo ut, licet uxor de adulterio peniteat, maritus tamen non teneatur eam rursus in forum domæque recipere, cum in aliis casibus, post ejus penitentiam, teneatur eam in gratiam et forum rursus admittare; tum denique quia Christus hic proprie excludere vult uxoris deformitatem, inopiam, displicentiam et quidquid citra culpam est, ob que Judei dabant libellum repudii, ad illorum enim mentem loquitur.

ET QUI DIMISSAM DUXERIT, ADULTERAT. — Cajetanus et nonnulli alii repetunt *excepta fornicationis causa*, quasi fornicationis causa licet viro dimittenti adulteram, ipsique adultere secundas inire nuptias. Verum hinc sensui plane repugnat Apostolus, *I Cor. vii. 11*, ubi jubet conjugem innocentem manere in nuptum, aut nocenti reconciliari. Vide ibi dicta; atque hic est perpetuus Ecclesia usus, sensus et praxis, de quo plura c. xix, 9.

33. ITERUM AUDISTIS, QUIA DICITUM EST ANTIQUIS: NON PERJURABIS (Lev. xix. 12; Eccl. xx. 7; Deuter. v. 11, ubi illud explent), REDDES AUTEM DOMINO JURAMENTA TUA. — Habetur hoc posterius, *Numer. xxx. 36*. Reddes, id est solves et implebis quod te facturum juraveris Domino, vel per Dominum, ita Chrysostomus; juramenta ergo proprie hic vocantur vota juramento confirmata, uti dixi, *Numer. xxx. 3*; hæc enim Deo reddere, id est solve re tenemur. Alter quoque explicat Suarez, *q. d. Reddes Domino juramenta tua*, hoc est, si jurare vultis, jura per Deum verum, non per idola. Ita ipse, *tom. II De Relig.*, *lib. VI De Juramento*, cap. 1.

34. EGO AUTEM DICO VOBIS, NON JURARE OMNINO, NEQUE PER COELUM, QUIA THRONUS DEI EST; NEQUE PER TERRAM, QUIA SCABELLUM EST PEDUM EJUS;

NEQUE PER IEROSOLYMAN, QUIA CIVITAS EST MAGNI REGIS; NEQUE PER CAPUT TUUM JURAVERIS, QUIA NON POTES UNUM CAPILLUM ALBUM FACERE, AUT NIGRUM. — Explicat et perficit hic Christus præceptum secundum Decalogi de non pejerando, quod perperam explicabant Scribæ et Pharisei. *Primo* enim asserant iuramentum esse et obligare, si fiat per Deum cumque in testem vocet, non vero si fiat per creaturas. Christus hic contrarium docet; in creatoris enim intelligitur creator; illæ enim creatæ sunt a Deo, totumque quod habent, habent a Deo; et quidquid sunt, Dei sunt. Qui enim jurat, Deum, qui est prima veritas, citat vocatque in testem sui dicti quod jurat. Jurans ergo per creaturam, vel ipsam facit Deum, quod est scelus idololatricæ, vel in ea creatorem Deum subintelligit oportet.

*Secundo*, errant Scribæ quod putarent hoc præceptum solum vetari perjurium. E contrario Christus hic docet illo vetari omne iuramentum, omnemque irreverentiam et abusum nominis Dei.

*Tertio*, Scribæ docebant eum qui jurabat per templum vel altare, juramentum non obligari; non vero qui jurabat per aurum templi vel per donum altaris, obligari, quia aurum et donum hoc cedebat in lucrum sacerdotum, quos confutat Christus. *Matth. xxiii, 16.*

EGO AUTEM DICO VOBIS, NON JURARE OMNINO. — Ex hoc loco Pelagiani, teste sancto Augustino, *epist. lxxxix, Quæst. V*, docuerunt nullum iuramentum Christianis esse licitum. Idem senserunt Waldenses et Velefiste, ut patet ex Concilio Constantiensi, et nunc idem sentiunt Anabaptistæ, qui ne in iudicio quidem a iudice coacti jurare volunt.

Verum hic est error in fide, quem damnat perpetuus Ecclesie usus, atque exempla ipsius Dei, Pauli et sanctorum, qui jurasse leguntur, ut patet, *Psal. cx, 4; Roman. i, 9; Philipp. i, 8; I Corinth. xv, 2*, et alibi. Idipsum evincit ipsa ratio: iuramentum enim est honor Dei, ut primæ veritatis; jurans enim invocat Deum in testem, quasi primam et infallibilem veritatem. Quare iuramentum est actus religionis et patriæ si, ut docet Jeremias, *iv, 2*, fiat *in veritate*, scilicet ut non iuretur falsum; et *in iustitia*, ne iuretur quid iniustum aut malum; et *in iudicio*, ne iuretur temere sine magna utilitate aut necessitate.

Dices: Quomodo ergo Christus hic præcipit non jurare omnino? Respondet *primo* S. Bernardus, *serm. 63 in Cantic.*, hoc non esse præceptum, sed consilium duntaxat.

*Secundo*, alii fatentur id quidem esse præceptum, sed velant duntaxat perjurium, ne scilicet iures falsum.

*Tertio*, alii putant præcipi non jurare omnino, scilicet per creaturas, sed per solum Deum. Id innuit hic S. Hieronymus.

*Quarto*, verum hæc omnia aliena sunt et contorta, et redduntur ex verbis sequentibus. Nota ergo duplicem fuisse Phariseorum circa hoc præceptum

errorem. Prior erat, *Exod. xx, 7*, ubi dicitur: « Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. » prohiberi duntaxat perjurium, non autem iuramentum leve, temerarium et vanum, quia Hebræa vox *שואב* scilicet, quam Noster et Septuaginta ibi vertunt *vanum*, significat quoque *mendacium*. Unde Chald. vertit: « Non assumes nomen Domini Dei tui ad mendacium, » id est non pejerabis, et sic vertebant et intelligebant Pharisei. Posterior, licitum esse per creaturas temere jurare et pejerare, ut patet ex sequent. et ex *cap. xxiii, 17*. Christus ergo utrique eorum errori opponit vocem *omnino, q. d.* Ego autem dico et edico, non tantum falsum, sed nec verum sive per Deum, sive per templum, sive alia formula per creaturas alias licere jurare: quod intellige ad mentem Phariseorum, leviter et temere, ut fit in communi hominum sermone, qui crebro habent in ore *per Deum, per animam, per templum*. Vult enim Christus docere, ut ait S. Augustinus et S. Chrysostomus, malum esse propensionem ad jurandum, et iuramentum, licet bonum sit, oriri tamen a malo, nec esse per se appetendum: itaque non jurandum omnino nisi malum hoc cogat; idque *primo*, ne ex assuetudine jurandi in perjurium labamur, ut plerumque fit. Ita passim Patres et *Ecl. xxiii, 9 et 12.*

*Secundo*, quia reverentia nominis divini hoc postulat, quæ ratio innuitur hoc versu.

*Tertio*, quia ea debet esse fides et veritas hominum, præsertim fidelium et Christianorum, ut injuratis credi posset, siquæ de facto alii crederent. Unde Isocrates ad Demonicum asserit homines justos fideliores se exhibere iurando, ut magis eis credatur injuratis, quam aliis jurantibus; quare addit tantum iurandum esse ut te crimine vel amicum gravi periculo liberet, non autem ob pecuniam, ut iures, v. g., te debitum solvisse nihilque creditorum debere. S. Basilium, *serm. ad Adolescentes*, quomodo ex Græcorum libris capiendi sit utilitas, refert de Clinia, amico et familiari Pythagoræ, quod maluerit tria talenta (hoc est octodecim millia aureorum) solvere, quam jurare etiam recte et licite. Plutarchus, in *Problemat.*, ait: « Iuramentum homini libero tormento est. » Romani a servis veritatem extorquebant per tormenta, a cive per iuramentum, a sacerdote per solum verbum nudamque affirmationem vel negationem.

Iubet ergo Christus: « Non jurare omnino: » *Primo*, quia, ut ait S. Augustinus, *serm. 28 De Verbis Apostoli*: « Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla secunda est. » *Secundo*, omnino, id est ut quantum in te est, non affectes, non oneres, nec quasi pro bono cum aliqua delectatione appetat jurandam, » ait S. Augustinus, *cap. v. De Mandato*. *Tertio*, quia jurare in se est malum morale ad irreverentiam erga Deum spectans, aut de hominem occidere; sed sicut hoc cum debitis circumstantiis licet, imo est laudabile; sic et jurare;

si fiat cum veritate, iustitia et iudicio, id est ut non fiat nisi id extorqueat alterius incredula diffidentia. In paradiso ergo non licuit, et in celo non licet jurare. Tanta enim est majestas nominis Dei, ut illud in testem vocandum non sit, nisi cogat necessitas. Testari enim res parvas et viles est parvum et vile, perfide ac si quis pro uno aureo vocaret regem in testem. Hinc sancti cavent jurare. In Vita S. Chrysostomi pro magno narratur, quod nunquam juravit. Idem narratur de S. Joanne Eleemosynario.

Rursus S. Augustinus, *epist. 89, Quæst. V*, videt eos qui putabant se tantum jurare si dicerent, *Per Deum*, non autem si dicerent, *Testis est mihi Deus*. Idem, *serm. 11 De Decollatione S. Joannis*, in fine tom. X, asserit provocare ad iuramentum eum quem seis juraturum falsum, scelus esse gravius homicidio; quia homicida, ait, tantum corpus, ille autem pejerantis animam occidit. Affert exemplum Tutillimeni, qui ob exactum tale iuramentum, noctu coram Deo graviter fuit flagellatus.

Querens, an etiam Christianis licitum sit jurare? Multi enim Patres id videntur negare. *Primo* enim SS. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius hic aiunt iuramentum a Deo fuisse permissum Judæis, ne per idola jurarent, non autem Christianis. *Secundo*, Theophylactus et Euthymius opinantur iuramentum fuisse præceptum legale legis veteris, uti erat circumcisio; unde cum ea jam per Christum abolita pariter esse abolitum. *Tertio*, alii censent Judæis quasi rudibus, imperfectis et duris ad credendum, a Deo permissum fuisse iuramentum; Christianis autem esse vetitum, quia eos utpote perfectiores perfectiora decet, et quia hi omnino cavere debent periculum perjurii: sicut Judæis permissum fuit libellus repudiij, ne uxores sibi exosas occiderent, quem tamen hic tollit, et Christianis admittit Christus, *vers. 32*. Ita sentiunt S. Hilarius hic, *cap. iv*; S. Ambrosius, *serm. 1 in Psalm. cxviii*; S. Basilium in *Psal. xiv*; Chromatius et Origenes hic, *tract. 33*; Epiphanius, *haeresi 19*; S. Athanasius, *serm. De Passione et Cruce Domini*; S. Chrysostomus, *hom. 19 ad Populum*.

Si obijcias Deum subinde jurasse in S. Scriptura, ut *Genes. xxii, 16*, respondent SS. Athanasius, Basilium, Ambrosius, illa Dei juramenta non esse proprie dicta juramenta, sed asseverationes duntaxat et promissiones; vel, ut ait S. Ambrosius, *Deus jurare potest, quia implere potest id quod jurat, ac de eo penitere non potest; homo autem jurare non debet, quia non habet potestatem certo faciendi id quod dicit, promittit et jurat.*

Si rursus obijcias S. Paulum subinde jurasse, ut cum ait: « Testem Deum invoco in animam meam, » *II Corinth. i, 23*, respondent S. Basilium hoc non esse vere iuramentum, sed tantum sermonem simplicem juramenti specie et forma prolatum ad majorem asseverationem.

Verum dico, non solis Judæis, sed et Christianis licitum est jurare. Est de fide, ut patet ex perpetuo sensu, usu et praxi Ecclesie: « Omnino enim controversie eorum (hominum etiam Christianorum) finis ad confirmationem est iuramentum, » ait Apostolus, *Hebr. vi, 16*. Porro, in Scriptura nullum extat præceptum jurandi affirmati, sicut extat præceptum jurandi sacrificandi, amandi et laudandi Deum, honorandi parentes, etc., quia iuramentum per se non est appetibile, sed propter aliud et quasi per accidens, quatenus scilicet iuramentum est velut medicina incredulitatis. Extat tamen præceptum jurandi negativum, scilicet ut non pejeres, utque non iures per deos falsos, sed tantum per Deum verum. Item extat præceptum conditionatum, ut, si velis jurare, non nisi verum, iustum et necessarium iures.

Dices: Christus hic Christianis ait sanctique « non jurare omnino. » Resp. Id verum est, quia per se indecorum est et inurbanum Deum Optimum, Maximum adducere in testem reclarum humanarum, quod mutuum hominum diffidentiam, nisi hæc indecentia et inurbanitas excusetur necessitate mutua, uti saepe excusatur, cum non suppetunt testes aliaque juridica probationes.

Ad Patres citatos respondeo videri eos loqui eodem sensu quo Christus, cum jubet non jurare omnino; quia enim ipsi videbant homines crebro jurare falsum, vel iniquum et iniustum, aut saepe sepius leviter, inaniter et temerarie; hinc ob periculum perjurii vel inaniter jurandi, vetabant et dissuadebant Christianis iuramentum, ut ab illo abstinerent quantum possent. Sed si quis hoc periculum caveat, illi utique in necessitate licet iurare; id patet ex S. Chrysostomo, qui crebro et assidue in hominibus ad populum Antiochenum acriter insecutur consuetudinem temere jurandi; quæ tunc ibi vigeat, ac id mirantibus respondet: Dico et repeto quod soleo, quia vos dicitis et repetitis quod soletis; asseritque se ab hac repetitione non desistitur, donec ipsi a jurando desistant; duro enim nodo durus adhibendus est cuneus, isque continuus.

33. NEQUE PER COELUM, QUIA THRONUS DEI EST; NEQUE PER TERRAM, QUIA SCABELLUM PEDUM EJUS EST. — Subaudi *juraveris*, ut sequitur. Videntur Judæi soliti jurare per coelum et terram, quodque Pharisei hæc juramenta, quasi per creaturas facta, parvi aestimanda censuerint; Christus contrarium hic docet, scilicet eum qui per coelum et terram jurat, jurare per Deum creatorem, qui thronum gloriæ suæ constituit in celo et scabellum in terra. Alludit ad illud *Isa. lxvii, 3*: « Hæc dicit Dominus: Coelum sedes mea; terra autem scabellum pedum meorum. » Vide ibi dicta.

NEQUE PER IEROSOLYMAN, QUIA CIVITAS EST MAGNI REGIS. — Puta Dei. Alludit ad illud *Psal. xlvii*: « Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri. » Et mox: « Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas

Regis magni. » Sensus est, q. d. Noli jurare per sanctos, aut sanctam civitatem Jerusalem, aut alias res sacras, vel per res tuas, aut ullam aliam creaturam, quia hæc omnes sunt Dei, qui in omnibus est præsens, et solus in omnia plenam habet potestatem, ac proinde per Deum jurat, qui per creaturas jurat: intendit enim in testem vocare primam et infallibilem veritatem quisquis jurat: illam ergo aut tribuit ipsis creaturis, et sic est idololatria; aut certe, usu Gentium, creaturas nuncupando tacite earum creatorem in testem vocat.

Perperam igitur hæretici moderni, ac nominatim Augustus Marloratus commentans in hæc Christi verba, juramentum per Sanctos damnant idololatriæ. Audi Marloratum: «Ita quisquis olim per Moloch, vel aliud idolum jurabat, tantumdem minuebat ex jure Dei, quod alium ejus loco substitueret cordium cognitorem et iudicem in animas, et hodie qui per Angelos vel Sanctos mortuos jurant, spoliato Deo, inane illis numen affingunt.»

Verum hic est error et hæresis, ut patet ex dictis, ac liquet ex verbis Christi hoc loco et cap. XIII, 21. Hinc S. Joseph juravit per salutem Pharaonis, Genes. XLII, 16; Christus sponsus jurat per capreas cervosque camporum, Cantic. II, 7; Paulus, I Corinth. XV, 31, jurat per gloriam Corinthiorum, ut patet ex textu græco. Quod autem Marloratus asserit orthodoxos, dum jurant per sanctos, illos facere deos, ac Deum sua deitate spoliare, putidum est mendacium et mera calumnia; honor enim Sanctorum est honor Dei. Deus enim eos fecit sanctos: quare qui jurat per Sanctos, per Deum eorum sanctificatorem jurat.

36. NEQUE PER CAPUT TUUM JURAVERIS, QUIA NON POTES UNUM CAPILLUM ALBUM FACERE, AUT NIGRUM. — q. d. Ne putes tibi licere per caput tuum jurare, eo quod illud sit tuum et tibi pleno dominio ad quemvis usum subditum, ut de eo ad libitum disponas, illudque per juramentum diris devoteas, si pejeres, quia revera caput tuum non est tuum, sed Dei; rem autem Dei alteri obligare et devovere non potes, nullum enim in rem Dei jus habes: unde non potes vel unum capitis capillum album facere aut nigrum, sed id solius est Dei. Qui ergo per caput suum jurat, per Deum capitis factorem jurat, atque, quod horribilius est, talis etiam suum caput vitamque rogat a Deo in pignus accipit, ut si pejeret, a Deo capite vitæque mulctetur.

37. SIT AUTEM SERMO VESTER: EST, EST; NON, NON (id est simplex affirmatio vel negatio); QUOD AUTEM HUS ABUNDANTIUS (Græce περισσώτερος, id est amplius: Στυς et Vatabl., q. ultra hæc adiungitur) EST, A MALO EST. — In Evangelio S. Matthæo adscripto pro est, est; non, non, habetur און און כן כן ken, ken; en, en, id est sic, sic; non, non, vel recte, recte; non, non, Græce ναι, ναι; εὐ, εὐ; quod tripliciter accipi potest: Primo, ut notet constantem asserationem, opponaturque inconstantiam et fallaciam. Sic illud usurpat Apostolus, II Cor. I, 17, 18, 19. Secundo, notet veritatem, seu id quod res

est, opponaturque falsitati. Sic accipitur ibidem, 20. Tertio, ut notet simplicem affirmationem vel negationem, opponaturque juramento. Sic accipitur hic, et Jacobi v, 12. Sensus ergo est, q. d. Sermo vester sit simplex affirmatio vel negatio; quod enim ultra hæc additur jurando, id a malo est. Ita S. Chrysostomus hic, et S. Hieronymus vel Paulinus, epist. ad Celantiam.

Hinc S. Bernardus, epist. 38, a simplici veracitate commendat Comitem Theobaldum: «Et quidem, inquit, in aliis principibus, si quando verbum levitatis aut etiam falsitatis apprehendimus, nec mirum reputamus; at vero apud Comitem Theobaldum, Est et Non, nequam omnino patienter audimus; cui, ut dicitur, simpliciter dicere, jurare est, et leve mendacium, grave perjurium imputatur: plurima quippe virtutum insignia, quæ vestram plurimum nobilitant dignitatem, et vestrum per orbem clarum reddunt ac celebre nomen, præcipue laudatur in nobis veritatis constantia.»

A MALO EST. — Græce ex malo est. Te malo potest accipi in genere vel masculino, vel neutro. Masculino, a malo, hoc est a diabolo, qui choragus malitiæ omnisque mali te instigat ut jures ex abundantia sine necessitate, itaque te sensim inducat ut præcipitanter jures falsum, quod est scelus perjurii. Ita Theophylactus, Maldonatus et alii. Neutro, a malo, id est a vitio, sive proprio, sive alieno, q. d. Usus jurandi oritur ex vitio proprio levitatis et irreverentiæ, vel alieno incredulitatis et diffidentia; quia enim alter mihi simpliciter aliquid asserenti non credit et diffidit, hinc juramento dicta mea illi confirmo, quod tamen vitium jam post hominis lapsum est necessarium. Ita S. Augustinus, lib. I De Serm. Domini in monte. Hinc sensus videtur simpliciter et planior. Huc accedit Franciscus Lucas: «A malo, inquit, id est a consuetudine vane et leviter, vel fecte et dolose jurandi. Rursum a malo, id est a consuetudine jurandi orta ex hominum diffidentia. Dum enim viderunt homines sibi non credi nisi juratis, cœperunt quibuslibet dictis suis addere juramenta, ut in fidem conciliarent; sed per hæc jurandi frequentiam hoc promeriti et consecuti sunt, ut jam eis etiam jurantibus non credatur.» De periculis et damnis frequentis jurationis vide Salmeronem, tom. V, tract. 40, et Chrysostomum, in homil. ad Populum.

38. AUDISTIS QUIA DICTUM EST: OCULUM PRO Oculo, ET DENTEM PRO DENTE. — Scilicet repende. Est hæc lex talionis, quæ jubet ut, si cui oculum vel dentem effoderis, tibi pariter per iudicem oculus vel dens eruat; hæc enim est justa vindicta et noxæ compensatio. Exod. XXI, 23 et seq. Vide ibi dicta.

39. EGO AUTEM DICO VOBIS, NON RESISTERE MALUM MALO, NOXAM NOXÆ RETALIARE; AUT POTIUS, q. d. Noli resistere malo masculinæ, id est homini malo tibi que injurio; Græce enim est, εὐ, εὐ, patet ex seq. Uterque sensus eodem redit.

La tallo  
ais just

malum malo, noxam noxæ retaliare; aut potius, q. d. Noli resistere malo masculinæ, id est homini malo tibi que injurio; Græce enim est, εὐ, εὐ, patet ex seq. Uterque sensus eodem redit.

Nota primo, veterem talionis legem fuisse justam, sed ejus proximè sæpe injustam et manantem non ex justitiæ, sed ex vindictæ appetitu, quo læsus, v. g. cui erutus erat oculus aut dens, lædentes talionis reum peragebat, ac a magistratu postulabat ut eidem simili modo oculum aut dentem erueret; Christus vero hanc legem supplet et perficit, talioni opponendo legem et consilium patientiæ, ac anixo vindictæ cupido legem mansuetudinis.

Nota secundo, hanc Christi legem non spectare magistratum, uti volunt Anabaptistæ, qui omne bellum non tantum offensivum, sed et defensivum hinc a Christo Christianis velari putant; sed spectare privatas personas. Magistratus enim officium est sones punire, ac homicidas morte plectere; ac Principes est damna reipublice illata bello, si aliter nequit, repetere.

Nota tertio, hanc Christi legem privatis non addimere jus talionis, quod est juris nature et Gentium, tum ad justitiæ læsæ reparationem, tum ad rei, qui læsit, correctionem; multo minus admittit jus se defendendi, quo quis ab hoste invasus, vim vi repellit, et si aliter evadere nequit, invadentem occidit; sed tantum velat vindictæ cupiditatem. Unde

Chris-  
tus talio-  
ni oppo-  
nit tale  
consilium.

Nota quarto, Christum hic velle nobis imprimere propensionem ad mansuetudinem et patientiam, ut quantavis injuria ledaris, a pace tamen, charitate et suavitate mentis interna ne vel illum decedas; utque si charitas proximi et Dei gloria, aut animi proprii tranquillitas et recta ratio in tali rerum peristasi, sive circumstantia, non tantum suadeat ut perfectius, sed absolute id exigat ut necessarium, non resistas malo, sed patienter illud excipias, ac opes et corpus tuum prædæ des invasori, uti contingebat tempore persecutorum primitivæ Ecclesiæ, præsertim in Apostolis virisque Apostolicis: atque hæc parte præceptum est, non resistere malo, alias duntaxat est consilium; v. g. consilium est non resistere invasori, sed ejus vim et injuriam sustinere, ubi et quando charitas et Dei gloria hoc non exigit, sed suadet tantum velat perfectius, aut ad mortificationis studium, ubi utrinque æqualis est Dei gloria, id facere ad insignem sui victoriam. Idem dico de tribus sequentibus casibus, scilicet: «Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram; qui vult unicum tuam tollere, dimitte ei et pallium; quicumque te angariaverit mille passus, vende cum illo et alia duo.» Unde S. Augustinus hic et epist. 3 ad Marcellinum, et lib. De Mendaciis, cap. xv, docet ista omnia magis ad internam animi preparationem, quam ad externam operis executionem pertinere.

Hæc ergo communiter sunt consilii; præcepti

vero, cum Dei gloria et salutis proximi id absolute jubet et præcipit, v. g. si Indi et Japonæ scilicet Christum præcepisse Christianis ut percutiant unam maxillam præbeant alteram, et nisi hoc illi faciant ipsi scandalizarentur et a fide Christi amplectenda averterentur, tunc utique Christianus, præsertim prædicator, ferientium veniam genam porrigere debet alteram. Cujus rei litterale exemplum extat in Vita S. Francisci Xaverii, Indorum Japonumque apostoli. Cum enim Japonæ riderent eum ut peregrinum, ejusque novam de Christo crucifixo doctrinam, contigit ut Japon quidam, audiens Joannem Fernandes, qui Xaverii erat socius, in platea concionantem, ex petulantia crassum et virulentum phlegma in faciem ejus expneret: qua injuria nil commotus Fernandes, deterso leniter sputo, in concione animose perrexit: quod factum, ac tantam patientiam et sapientiam novorum prædicatorum admirantes Japonæ, certam eis se discipulos tradidere fidemque Christi amplexi sunt. Tam efflux, tam potens est Christiana virtus, patientia, lenitas et magnanimitas, ut fidem persuadeat, quam omnis sermo persuadere non potuit. Numerantur enim hodie in Japone ad quingenta Christianorum millia, qui primorum Christianorum fervorem et constantiam etiam per lentos ignes imitantur. Patiens ergo resistens malo, non ab illo vincitur, sed illud vincit; vincit enim iram, vincit et hostem, malum inferentem. Audi S. Chrysostomum, hom. 83 in Math. : «Hæc apud nos clarissima est victoria, nullibi certe male agentes, ubique mala sufferentes superamus: illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patientiō superasti. Sic scopuli fluctibus cæsi, facile illos dissolvunt, etc. Deus eas tibi vires concessit, ut non consertione manuum sed patientia vicias.»

Denique proprie martyrum est non resistere malo, non se defendere, sed permittere se occidi pro Christo, quia miles pugnat, martyr non pugnat; martyr enim est collega passionis Christi, ut scribunt martyres ad S. Cyprianum, lib. V, epist. 12, passio enim Christi est exemplar omnis martyrii.

Quocirca nobilis illa Thæbea plurimorum et fortissimorum militum legio, a Maximiano Imperatore damnata ad mortem, eo quod idolis nollet immolare, immixtis in eam militibus cæsaribus noluit se defendere, etiam si caro vitam suam vendere magnamque hosti stragem inferre potuisset; sed duce et hortatore S. Mauricio, rejectis armis, velut grex agnorum permisit se pro Christo mactari et immolari. Christus ergo novam hic docet philosophiam mundo paradoxam, philosophis incognitam, hominibus inauditam, sed cœlestem et divinam, eademque suo confirmavit exemplo, dum Judeis iuro se tradidit vincendum, flagellandum, crucifigendum. Unde ipse de se ait: «Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam

illa sint  
præcepti  
quando  
consilii.

non averti ab increpantibus et conspuentibus. » *Isaia*, XLIX, 6; et *LIII*, 7: « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondeute se obmutescit, et non aperiet os suum. » Fuit enim ipse rex martyrum et dux patientium. Ratio a priori est, quia in hoc consistit apex patientie magnanimitatis et charitatis. Patientia enim opus perfectum habet, ut ait *Jacobus*, cap. I, 4. Vide ibi dicta. Perfectus autem est, si non resistat injuriis et injuriaribus, sed his ultro se offerat. Magnanimitas est, omnes res hujus vite, adversas æque ac prosperas, quasi infra se positas despiciere. Magnanimus, quasi in celo positus et in celo defixus, contemnit omnia quæ sub Deo sunt, velut parva et exilia, itaque eis dominatur, sicut Christus dominatus est omnibus injuriis, doloribus et tormentis: quare ipse in passione fuit Rex et Dominus dolorum. Caritas denique pro Deo optat dura et dira pati. Rursum optat injuriantem vincere et convertere sua tolerantia et lenitate, non vero ab eo vinci; juxta illud: « Noli vinci a malo, sed vince in bono malo. » *Rom.* XII, 21. Vide ibi dicta. Vide et *S. Ambrosium*, lib. I *Offic.*, cap. XLII; nimirum:

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit  
Mænia, nec virtus alius ire potest.

SED SI QUIS PERCUSSE RIT DEXTERAM MAXILLAM TUAM, PRÆBE ILLI ET ALTERAM. — Hoc quandoque est preceptum, quandoque consilium Evangelicum, uti jam dixi: proficitur vero ex animo generoso prompto ad patientiam ac presentem Christi vitam et passionem imitari gestiente. Quocirca viri magni qui Christum proxime sequi conati sunt, idipsum reipsa præstiterunt. Hinc *S. Ambrosius*, lib. I *De Spiritu sancto*, in Proemio, mystice per maxillam accipit patientiam, quæ omnium est victrix. « Sicut enim, inquit, Samson maxilla asini occidit mille Philistæos, sic Christus sua patientia prostravit demones, omnesque hostes, et Christo Christianus et patiens quilibet. » *Judic.* xv, 15. Idem *S. Ambrosius*, in cap. VI *Lucæ*: « Nonne, inquit, omnis indignantis (si ei præbeas maxillam) frangit impetus, ira sedatur? Nonne per patientiam, ut sua amplius penitentia reverberes verberantem? Ita erit ut et injuriam repellas, et gratiam quaeras. At sæpe maxime amoris causæ existunt, cum patientia insolentiae, gratia refertur injuriæ. »

Ita magnus ille *Spiridon*, Trimituntis in Cypri episcopus, ob sanctitatis famam vocatus a Constantio imperatore, cum vili et peregrino habitu regiam inrederetur, a quodam e famulis irrisus et alapa in gena percussus, mox alteram præbuit, atque hac sua virtute eundem pudeliciter convertitque, ut prostratus in terram, supplex ab eo veniam peteret, ut habet ejus Vita apud *Surium* die 12 decembris.

Ita monachus ille alteram maxillam præbens energumene percutienti, ab ea demone effugavit. Audi rem gestam narantem *Actorem* lib. *Doctrina Patrum*, tractat. *De Humilitate*, numer. 3: « Cum intrasset, inquit, monachus ille in domum, venit puella illa, quæ a demone vexabatur, et mox dedit alapam monacho: ille autem convertit et ei aliam maxillam secundum divinum preceptum; demone autem coactus, clamare cepit: O violentia mandatorum Christi! Jesus expellit me hinc. Et statim mundata est puella illa. Cum autem venisset ad senes, monachus ille indicavit eis quod factum fuerat, et glorificaverunt Deum et dixerunt: Consuetudo est diabolica superbia humilitate mandatorum Jesu corrumpere. »

Simile plane est quod narrat *Rufinus* in *Vitis Patrum*, lib. III, numer. 123: « Quidam, inquit, ex senibus monachorum cremita fuit, quem quidam a spiritu malo correptus et spumantem iter in maxillam percussit; senex autem præbuit illi alteram maxillam, ut feriret: diabolum autem non ferens incendium humilitatis ejus, statim discessit. » Idem pene ad verbum recenset *Pelagius* in *Vitis Patrum*, libello XV, n. 53.

Simili modo, *S. Albertus* Ordinis Carmelitarum, a diabolo per energumenam in dextera maxilla percussus, præbens ei alteram, sua humilitate diabolum crucians expulit, ut habet ejus Vita apud *Surium* die 7 augusti.

Insuper, unus e quingue Franciscanis, qui, vivente *S. Francisco*, Marochii pro fide Christi nebulæ martyrium obierunt, nomine *Otho*, irritatus a principe Sarraceno ad Mahometismum, in ejus et profanæ legis contemptum in terram spuens, gravi alapa ab eo percussus est; at ille memor verborum Christi, alteram maxillam præbuit, dicens: « Ignoscat tibi Deus, quia nescis quid facis. » Ita habet ipsorum Vita apud *Surium* 16 Cal. febr.

*Cassianus*, *Collat.* XIX, cap. 1, celebrat patientiam religiosi ejusdem, qui ab abbate Paulo in conventu mullorum ad probandam ejus virtutem palma in maxilla acriter percussus, ita ut sonitus longe considerentium auribus resultaret, non solum non murmuravit, sed ne rubore quidem, ut coesoret, vultum perdidit.

Porro, de *S. Paula* ita scribit *S. Hieronymus* in ejus *Epitaphio*: « Invidia et probris appetita, ait: Cur non patientia livorem superem? cur non humilitate frangam superbiam, et percutienti maxillam offeram alteram? »

Denique *S. Eulogius*, Cordubensis presbyter et martyr, a Sarraceno principe damnatus ad mortem, quod Mahometi malediceret, cum ad martyrium duceretur, a Sarraceno in maxillam percussus, alteram ei præbuit, in eaque alapam recepit: unde mox capite plexus est, et columna corpori ejus insedit quasi columbinæ ejus mansuetudinis, innocentie et patientie index et vindex, anno Domini 839, die 11 martii: quo tempore plures ibidem eadem de causa martyrium

subiere, quorum generosa certamina et triumphos paulo ante mortem descripsit ipse *Eulogius*. Ita habet ejus Vita scripta ab ejus familiari *Alvario* Cordubensi, quæ extat in *Surio* pro *Mosandrum* adacta ad diem 11 martii.

Quod si vero quis hereticus vel impius te in unam maxillam percutiat, ut tuam orthodoxam fidem, religionem, virtutem despiciat et despiciendam aliis ostendat, tunc sane non præbenda est ei altera, sed graviter ille increpandus est, uti Christus increpavit satellitem dantem sibi alapam coram Pontifice, dicens: « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me credis? » *Joan.* xviii, 23. Et *Paulus* cum eum Pontifex juberet percuti: « Percutiat, inquit, te Deus, paries dealbæ. » *Actor.* xxiii, 3. Tunc enim sciendum est illud *Sapientis*: « Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. » *Proverb.* xxvi, 5, ubi festivum hæc de re exemplum recensui. Denique *Cassianus*, *Collat.* XVI, cap. xx, irridet vesaniam nonnullorum qui, ut hoc Christi exemplum impleant, ultro jurgia miscebant aliosque ad iram provocant, ut ab iratis percuterentur, ac percussi aliam maxillam percutienti feriantem offerebant. Patientis enim est neminem ad impatientiam provocare, ne ipsa patientia fiat impatiens.

40. ET SI QUI VULT TECUM IN JUDICIO CONTENDERE, ET TUNICAM TUAM TOLLERE, DIMITTE EI ET PALLIUM. — Pallium est vestis extima et sæpe majoris pretii, tunica vero est vestis interior; unde illud: *Tunica pallio propriior*; quare tunica exui detrahique nequit, nisi prius detrahatur pallium. Quocirca *S. Lucas*, cap. vi, 29, ordinem tunicæ et pallii recte invertit, atque: « Et ab eo qui auferit tibi vestimentum (Græce ἱμάτιον, id est pallium), etiam tunicam noli prohibere. » Sed eodem redit sensus, q. d. Unam vestem auferenti, noli in judicio pro veste cum litigatore contendere, sed potius ut litem evadas, dimitte ei vestem quamlibet, adeoque si ipse pallium poscat, dimitte ei et tunicam; si poscat tunicam, adde ei et pallium: præsertim quia, ut notat *Euthymius*, ἱμάτιον et χιτὼν, id est pallium et tunica sæpe inter se confunduntur, ac unum pro alio sumitur. Ratio a priori est, quia « melior est uncia pacis et charitatis quam libra victoriae, » ut dicebat *Cardinalis Bellarminus*, unde *Apostolus*, *Colos.* iii, 13: « Pax Christi, ait, exaltet (Græce κατακρατεῖται, id est antiquam iracundiam imperet et dominetur) in cordibus vestris. » Feiit hoc ad litteram *S. Franciscus* qui, ob profusas eleemosynas a patre protractus ad episcopum Assisianum ut cederet bonis, non tantum illi cessit, sed et vestes patri resignavit, dicens: « Deinceps fidentius dicam: Pater noster, qui es in caelis. » Ita *S. Bonaventura* in ejus Vita. Hæc in re rarum patientiæ et paupertatis exemplum dedit *S. Elisabeth*, regis Hungarorum filia, quæ, mortuo marito lassæ Langravio, a vasallis suis et cognatis per summam injuriam domo expulsa,

bonis spoliatæ et ad extremam paupertatem redacta, leta et alacris secessit in cenobium Franciscanorum, ibique a fratribus: *Te Deum laudamus*, in gratularum actionem Deo decantari postulat, atque per domos cum prolibus velut mendicæ oberrans, tandem tugarium ingressa, ubi fumo, æstu, ventis et imbribus exagitata, Deo semper gratias agebat; insuper cognatorum sanas, convicia, scommata hilariter sustinebat, gaudens quod digna esset talia pro Deo pati. Denique cum pater ejus, rex Andreas, eam in Hungariam ad regium vivendum splendorem revocaret, non acquievit, sed in summa paupertate laudicio victim sibi parans, in vilissimis circa pauperes, ulcerosos et leprosos officis vitam omnem transiegit, adeoque sub morte et Angelorum melodiam, et Christi ad regnum caeleste evocantis dicentisque: « Veni, electa mea, et caelesti thalamo, quem tibi ab æterno destinavi, potius, » vocem audire meruit. Ita habet ejus Vita apud *Surium* die 19 novembris.

41. ET QUI TE ANGARIVAT MILLE PASSUS (milliare unum Italicum), VADE CUM ILLO ET ALIA DUO. — Angariare est vox Persica. Persis enim publici nuntii et veredarii vocabantur angari, quibus jus erat equos, homines et navigia usurpandi et ad sibi serviendum cogendi: unde angariæ idem est quod stringere et cogere; unde nomen *Angaria* et *Panangaria* in libris Juris. Nostros vocant *Postos* quasi *postos* collocautos in certis locis, et semper in prociunt exubantes. Hinc epistola dicitur et Hebr. מַגְרִיזִים *ighheret*, quasi *ingeret*, id est missa et prolata ab angariis sine cursoribus. Hinc et Græce dicitur ἀγγαρία, id est angelus, quasi angarus per commutationem litteræ *r* in *l*, uti pro *Belial* dicitur *Belialar*; sæpe enim littera *l* mutatur in *r*, et quandoque alie in alias, ut *πέλαγος*, *meditor*; *ἀγγαριον*, *amido* Helrusce; *ἐγγερος*, *Engeros*, id est *cercus*; *μεγαλοδωρον*, *Hispance monti-pollio* pro conspionage; *παλινορας*, *Palerno*. Ita *Angelus* Canin. in *Hellenismo*.

Sensus est, d. q. Si quis cogat te secum proficisci ad unum milliare, potius quam cum eo contendas, vade cum eo ad duo milliaria; sic enim pacem servabis, patientiam exercebis, et eogentem charitate vinces lib. que amicabis: sin illi resistas, teque vindicare velis, bellum v. t. duellum cum ipso suscipies, perdes mentis tranquillitatem et odia tibi concilias.

Porro, ne fideles putent hic sibi nimis dura et ardua a Christo præcipi, hinc *S. Basilii*, homil. *De legibus Gentilium* libris, ostendit philosophia similia docuisse et fecisse, ut *Pericles*, qui tota die a quodam probris exceptus, eundem vesperum cum lumine domum deduxit; et *Socratem*, qui a quodam multis in facie plagis affectus, non vitæ ultus est hominem, quam fronti suæ, vultu statue, nonen ejus, quasi episcopi, inseverendo; et *Euchidem* qui, cum quidam juraret se illum vesicisurum, juravit vicissim se cum phacaturum, ac

in se animo esset hostili, effecturum. De Julio Cesare ait Cicero, *Orat. pro Marcello*: « Caesar nil oblivisci solent nisi injurias. » Aristoteles, lib. IV *Ethicor.*, cap. 11: « Magnanimus, inquit, ignominiam hominum contemnit. » Alius: « Magnanimi est oblivisci injurias; ut Lebilis stomachi est cibum duriores non posse digerere, ita pusilli animi est duriusculum verbum non posse sustinere. » Hæc fuerunt virtutes Christianæ, quæ utique longe major et solidior est in S. Paulo, S. Laurentio, S. Vincentio et similibus, qui tortoribus gratias agebant, quod sibi martyrii coronam torquendo pertexerant. S. Cyprianus suo spiculari, qui caput ipsi erat amputaturus, jussit dari viginti aureos, ait Pontius in ejus Vita. B. Juniperus, S. Francisci socius, probra excipiebat quasi gemmas Christi; unde exprobrant sibi: « Projice, inquit, has gemmas in sinum meum; vellem utique talibus gemmis lapidari Romam usque. » In *Vitis Patrum* legitur de religioso quodam, quod quo quis amplius eum vexabat aut iridebat, tanto magis ille gaudebat, dicens: « Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum; qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est enim: *Quoniam hi, qui beatificant vos, ipsi decipiunt vos.* »

Climacus, Gradu IV *De Obedientia*, narrat religiosum nomine Abbakiram, a sociis varie per annos quindecim tentatum et tribulatum, ita ut mensa quoque a ministris expelleretur, omnia hæc patienter tulisse, ac interpretatum hæc omnia non serio, sed probandi sui causa fieri, atque instante morte dixisse: « Gratias ago Domino Jesu Christo et vobis, quia propter id quod me tentastis in salutem, ecce decem et septem annis permansi a demonibus non tentatus. » Ibidem commemorat Macedonium senem inter novitios (id ipsomet humilitatis studio petente) relegatum dixisse: « Nunquam sicut nunc evacuationem omnis prelii et luminis divini dulcedinem in me ipso perspexi. »

42. QUI PETIT A TE, DA EI; ET VOLENTI MUTARI A TE, NE AVERTARIS. — Græce *ποι ἀποσπερῆς*, id est ne aversaris. S. Augustinus, ne aversatus fueris, scilicet mutuum a te postulante. Videtur prima fronte hæc sententia non coherere cum precedentibus de lege talionis et vindictæ; sed revera optime coheret, sensus enim est, q. d. Christus: Ego pro lege talionis et maleficientie surrogæ et figo legem charitatis et beneficentie. Quare quicumque peti aliquid abs te, sive is amicus sit, sive inimicus qui te lesit et in maxillam percussit, aut pallium abstulit, aut alter angariavit, da illi quod petiit; ac si velit poseatque abs te mutuum, ne eum ob injurias tibi illatas aversaris, faciemque tuam, ut fieri solet, avertas, sed benigne eum ut proximum excipe, ac mutuum ei præbe, perinde ac si nunquam te lesisset. Hinc esse sensum liquet ex *ne aversaris*, vel ut Græce est, *ne aversaris*, et ex eo quod habet Lu-

cas, vi, 30: « Omnis autem petenti te tribue, » additque: « Et qui auferit qua tua sunt, ne repetas. » Unde patet hic agi de eo qui tibi injurias sive tuasque velut fur aut raptor abstulit; huic enim concedere id quod abstulit et rapuit, nec repetere, si ipse eo valde indiget, præcepti est (si enim non abstulisset, obligaris ei ita indigenti id ipsum dare per elemosynam), alias consilii est; elemosyna enim, sive illa fiat dando, sive mutuando id quo proximus, etiamsi inimicus qui nos lesit, indiget, præcepti est in extrema vel gravi ejus necessitate; alias consilii est, sed utilissimi, intellige, si habes quod ex tuo illi des vel mutues; nam aliena, ac præsertim Deo consecrata, uti sunt bona monasterii, dare vel mutnare non licet sine venia superioris, uti docet S. Basilius, in *Regulis brevior.*, Resp. 101. Sic S. Spiridon et nonnulli anachoretæ furibus ea que sibi furati erant, ultro condonabant, quin et plura adjungebant.

Porro, apte subjungit Christus hoc præceptum ut omni petenti demus, præcepto patienti rapinam, qua tibi ablata est tunica, pallium, etc., quia hæc rapina dissonat ad donationem; qui enim patienter suffert sibi auferri, facile dabit quæ sua sunt alteri. Nam, ut ait S. Gregorius, III parte *Pastor.*, Admonit. 21: « Cum danis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientie expiit. Prius namque præparandum est patientie animus, et tunc aut multa sunt, aut cuncta largienda, ne, dum minus æquanimiter largi irruens fertur et premisse largitatis mores perat, et adhuc mentem deterius mormuratio subsequens perdat. »

Denique non decrescit, sed accrescit hic Christi sermo et sanctio; licet enim facillius sit in se dare omni petenti, quam percutienti unam maxillam præbere alteram, ut tollenti tunicam dimittere et pallium; tamen difficilius est in connexionem, quia, ut jam dixi, supponit illam patientiam, qua illa et illos sufferre obligamur, et superaddit beneficentiam, qua eis lem petentibus dare vel mutnare debemus; difficultius enim est post acceptam injuriam injuriam illi benefacere, quam ab eo acceptam injuriam duntaxat pati et sufferre. Ita S. Augustinus, lib. *De Serm. Domini*, cap. XL.

Rationem a priori subdit S. Lucas, vi, 31: « Et quodcumque vullis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. » Hæc enim est lex, mensura et fons charitatis mutue, ut factus alteri quod tibi vis fieri. Vis tibi egenti dari elemosynam etiam ab inimico, tu similiter fac illi. Audi Climacum, Gradu XXVI: « Piorum est omni petenti largiri; sed magis piorum est, etiam non petenti dare; sed magis piorum aulem, aut quidquam ab eo exigere qui abs te aliquid abstulit, dum maxime possis, illud fortasse non nisi eorum est, qui omnem affectum erga res omnes mortales exerunt. » Praxin hujus præcepti Christi nuper Romæ dicit

Phararo charitatis exemplo B. Philippus Nerius, qui omni petenti dabit omne quod poterat, solatium, consilium et auxilium, ideoque cuicunque cubitulum suum ostendere volebat, ut cubilet liberum ad se qualibet hora daret aditum; dicebatque servum Dei debere esse omnium horarum hominem, ut nullam ex tota die sibi reservet, sed omnes proximis commodet, ut totus sit illorum, non suus: sicut fecit Christus, qui « pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, » Actor. x et xi, ac « suæque omnia una cum vita pro nobis impendit et profudit; atque Paulus, qui omnibus omnino factus est, ut omnes Christo lucrifaceret. » I Cor. ix, 22. Nota est S. Joannis, Patriarchæ Alexandrini, liberalitas, qui hæc Christi sanctione stimulatus, omnibus petentibus largas dabat elemosynas, indeque cognominatus est Elemosynarius; ac quo plus dabat, eo plus recipiebat, ut cum Deo de liberalitate certare videtur, et Deus cum eo. Vicit enim Joannes Deum, et Deus Joannem vicit multo amplius. Quocirca volebat Joannes petentes examinari, an divites essent vel pauperes, an digni vel indigni, an pauci vel multi. « Persuasum enim habeo, inquit, quod etiamsi totus mundus simul veniret Alexandriam egens beneficentia, hoc Dei thesauros nequaquam in angustum rediget. »

S. Joannes Elemosynarius.

S. Franciscus.

Alexander Hiericus.

S. Franciscus, initio conversionis sue, cum pauperem quendam petentem elemosynam præter morem repulisset, repente facti penitens, largam ei dedit, vovitque se nunquam deinceps postulanti elemosynam negaturum, atque hæc sua liberalitate vicissim copiosam Dei gratiam in se provocavit, qui ad tantam mox sanctitatem evasit.

Narum est, quod in Chronicis Ordinibus S. Francisci legitur de Alexandro Halensi, qui *ita fons* est appellatus, fuitque præceptor S. Bonaventuræ et, ut fertur, S. Thomæ. Hic tanto in Deiparam ferebatur affectu, ut constituerit nulli unquam se negaturum quod nomine Deiparæ peteretur: quod cum intellexisset quidam Franciscanus, videns eum doctorem celeberrimum, cui nullus par in Academiâ Parisiensi, ad eum accessit, et: « Per S. Mariam, inquit ad eum, obsecro te ut nobis accedas. » Is missum a Deo creditur hominem, et illico eum sequitur fitque S. Francisci alumnus. Fusc re gestam narrat Lucas Waddingus, tom. I *Annal. Minorum*. ad annum Christi 1222, num. 26.

43. AUDISTIS QUA DICTUM EST: DILIGES PROXIMUM TUUM, ET ODIO HABEBIS INIMICUM TUUM. — Prius: *Diliges proximum*, dictum est, *Levit. xix, 18*, at posterius, *odio habebis inimicum*, ubi dictum est? Respondet Maldonatus id dictum esse, *Deuteron. xxv, 19*: « Delebis nomen ejus sub celo, cave ne obliviscaris. » Jusserat enim Deus Josue et Hebrais, ut gentem Chananeam impiam prorsus delerent, et eorum terram occuparent; Christum ergo non Scribas, sed legem ipsam hic corrigere,

dum jubet inimicos diligere. Verum lex jussit tantum Chananeos occidi, non tamen odio haberi, multo minus alias gentes: sicut iudex jubet occidi reum, non tamen eum odit, imo eum amat; curat enim ut culpam et scandalum a se datum emendet, pro eoque Deo et republicæ satisfaciât: sic et miles in bello iusto hostem caedit, sed non odit. Est enim executor sui ductus, quasi iudicis. Nam legem veterem præcepisse non solum amicos, sed et inimicos diligere patet, *Exod. xxiii, 3*, et *Levit. xix*. Lex enim naturæ jubet inimicos diligere.

Dico ergo id dictum esse non a lege, sed a Scribis legem interpretantibus. Hi enim ex eo quod dicitur, *Levit. xix, 18*: *Diliges proximum*, vel ut Noster vertit, *amicum* (Hebr. enim *דן* *rea* significat socium, amicum, proximum) tuum, inferebant: ergo *odio habebis inimicum tuum*: pro amicum autem vel proximum ipsi intelligebant proximum cognomine et gente, puta Judæum ex Abraham et Jacob secum prognatum, quasi Judæis soli Judæi essent diligendi; cæteræ vero gentes, præsertim Chananeæ, odio habendæ, qui manifestus est error. Quare Christus sensum hunc corrigere legemque explicat, videlicet pro amicum vel proximum hic intelligi quemvis hominem, etiam extraneum, gentilem et inimicum; omnes enim homines ad invicem proximi sumus in primo patre Adamo, utpote ex eo progeniti, ideoque fratres; et in secundo parente Christo, per quem regenerati et quasi recreati sumus ad eandem Dei similitudinem, vocati ad eandem Dei Patris hereditatem in cælis. Ita S. Hieronymus, S. Augustinus, Theophylactus et alii.

Porro, Origenes hic per inimicos accipit demones; hos enim quasi juratos et æternos hostes, sollicitantes nos ad peccatum, tunc enim, Valfiniano odio odios debemus. Verum hoc mysticum est et symbolicum.

44. EGO AUTEM DICO VOBIS: DILIGITE INIMICOS VESTROS, BENEFACITE HIS QUI OBERUNT VOS, ET ORATE PRO PERSEQUENTIBUS. — Græce et Sytus, qui *oravit vos cum militari insullu et violentia* ET CALUMNIANTIBUS VOS. — Græca addunt *ἐνεργήσατε τοῖς κακοεργήτοις; ἡμῶν; ἢ;* id est *beneficite iis qui vobis maledicunt*, ut Christus hic præcipiat inimicos diligere corde, ore et opere: corde cum ait: « diligite inimicos, » ore, cum ait: « beneficite iis (qui vobis maledicunt); » opere, cum addit: « Benefacite his qui oberunt vos. » Præcepit ergo Christus hic: *Primo*, ut inimicos non odiamus, sed amore interno sincereque diligamus. *Secundo*, ut communia amoris signa externa, sive loquendo et salutando, sive beneficiando eis non negemus; peccatum enim esset, si elemosynam faciens omnibus pauperibus, qui in urbe vel hospitium sunt, ab ea exclusas unum, duos aut tres, qui te læserunt, vel tui sunt inimici. *Tertio*, ut inimicis in necessitate positus succurramus, neque ac facimus amicis. Consultit autem ut benevole eos preveniamus verbis et be-

beneficiis peculiaribus, itaque eorum odium vincamus, eosque nobis devinciamus et amicum, juxta illud Pauli: «Vincite in bono malum.» *Rom. xii, 21*, ubi plura hæc de re dixi. Hic est apex charitatis Christianæ, scilicet dilectio inimicorum. Vide D. Thomam et scholasticos, II II *part., Quæst. XXV, art. 8 et 9.*

Porro, S. Chrysostomus hic, *homil. 18*, hujus dilectionis inimicorum novem gradus constituit. «Primus est, inquit, ne prior injuriam ordiaris. Secundus, ubi est injuria cepta, ne tu eandem eodem pacto propellas. Tertius, ne par pari referas, sed quiescas. Quartus, ut etiam præbeat seipsum ad injuriam suscipiendam. Quintus, ut etiam ad majora se præbeat, quam vult ille qui fecit. Sextus, non odisse a quo ista perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octavus, beneficiis quoque eum libenter afficere. Novus, etiam Deum pro adversario deprecari.»

45. UT SITIS FILII PATRIS VESTRI, QUI IN COELIS EST, QUI SOLEM SUUM ORBI FACIT SUPER BONOS ET MALOS, ET PLUIT SUPER JUSTOS ET INJUSTOS. — *Ut sitis*, id est ut ostendatis vos esse filios Dei, ut potius ut sitis reipsa filii Dei per imitationem, id est similes et imitatores Dei, qui jam estis filii Dei per gratiam et adoptionem. Simili sensu dixit, vers. 9: «Beati mundo corde, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.» Jubeo ergo ut in dilectione inimicorum imitemur Deum, qui impiis hostibus suis benefacit, dando eis pluviam, solem, fruges, fructus, etc. Deus enim tam celsi est animi, ut nullam, quantumvis impii et blasphemii, injuriam et lesionem sibi factam putet; nullam enim sentit, nil de honore et gloria sua deperdit; item tam imparabilis est et sanctus, ut nulla in eum eadit ira et vindicta; ac tam bonus et clemens est, ut sua dona effundat in inimicos, eosque gratia sua præveniat alienis et trahens ad reconciliationem; imo pro eis sibi reconciliandis salvandisque Filium suum unicum dedit in crucem. hæc imitemur quoad possumus.

Urget S. Augustinus *solem suum*, id est a se creatum: «Ut hinc, ait, commoneamur, quanta liberalitate inimicis nostris ex precepto ejus præstare debeamus que nos non creavimus, sed ex munere ejus accepimus.» Stimulus ad diligendum inimicos plures suggerit hic noster Salmeron, tom. V, cap. XLIII.

46. SI ENIM DILIGITIS EOS QUI VOS DILIGENT, QUAM MERCEDEM HABEBITIS? NONNE ET PUBLICANI HOC FACIUNT? — Publicani dicti a publico, quod publica vectigalia exigant et redimant, ideoque rigide a pauperibus plura subinde extorqueant, quam ipsi debeant ad solvere queant: qua de causa apud Judæos habebantur ut iniqui et infames. «Quam mercedem habebitis?» *q. d.* Nullam: si enim amicos duntaxat diligatis, non inimicos, ut Publicani faciunt, Deus nullam in celo vobis mercedem dabit; tum quia hæc dilectio est naturæ, non gratiæ et charitatis, hæc enim ad inimicos

se extendit; tum quia mercedem ab amico recipitis, scilicet mutuum et vicarium amorem: sin vero tam inimicos, quam amicos diligatis, utrorumque dilectione magnam a Deo gratiam et gloriam merebitur et reipsa obtinebitis, qua utraque est actus charitatis. Charitas ergo jubet diligere amicos et inimicos, natura corrupta solos amicos; unde P. Sylla jactabat se amicos superare beneficiis, inimicos vero maleficiis, uti C. Marium crudeliter laniavit, teste Plutarcho in ejus Vita. Idem fecere alii Gentiles, Quare inter eos stupori fuere nonnulli, sed pauci, qui inimicos etiam dilexerunt, ut Phocion, qui damnata ad mortem, jam occidendus, rogatus ab amicis numquid filio nuntiatur vellet, respondit: «Volo, ut illate mihi ab Atheniensibus injuria obvisetur.» Lyeurgus, rex Lacedæmonum, a juvene quodam orbatu oculo, illum a populo accepit, ut quo liberet modo puniret: ille eum optime instruit, et jam probis moribus instructum, in theatrum produxit populoque ostendit: «En, inquit, quem a vobis injuriam et violentum accepit, jam frugiet popularem vobis restituo.» Ita Plutarchus in Lyeurgo. Si hoc fecere Gentiles, duce ratione et natura ob gloriam temporalem, quid facere decet Christianum duce fide et gratia ob bravium beatæ eternitatis.

47. ET SI SALUTAVERITIS FRATRES (COGNATOS, CONSANGUINEOS, AMICOS) VESTROS TANTUM, QUID AMPLIUS FACITIS? NONNE ET ETHNICI HOC FACIUNT? — Pro salutaveritis Græce est *ἠσπασάντων*, id est salutare eum oculo et complexu, qui salutandi mos olim fuit apud Græcos et Romanos, imo apud primos Christianos, juxta illud: «Salutate invicem in osculo sancto.» *I Cor. xiii, 12.* Vide ibi dicta. Unde Vatablus vertit: «Si amplexi fueritis, vel si complectendo salutaveritis fratres vestros, quid amplius præ cæteris etiam Publicanis et Ethnicis facitis?» Græce est, *ἢ παραδοῖν*, quod Vatablus et alii vertunt: *quid eximium facitis?* Nam, ut sequitur, «et Ethnici hoc faciunt.» Sic cum Nostro legit S. Chrysostomus, scilicet *ἠσπασάντων*; jam Græca habent *ἠσπασάντων*, id est *Publicani*. Doct ergo hic Christus salutandos esse non tantum fratres et amicos, sed etiam exteros et inimicos. Tam ergo inimicum, quam amicum, si generosi es animi, saluta prior, multo magis salutantem resaluta, ut tu potius accipias humilitatis coronam, et de superbia inimici triumphes eamque sternas, ut docet S. Chrysostomus, *hom. 18.* Sub salutatio cætera omnia benevolentia signa accipit. Hoc est quod ait Apostolus: «Honore invicem prævenientes.» *Rom. xii, 10.*

48. ESTOTE ERGO VOS PERFECTI, SICUT ET PATER VESTER COELESTIS PERFECTUS EST. — *Emphasin habet* *vos*, *q. d.* Vos ab Ethnicis estis segregati et a Deo electi, ut sitis ejus fideles, amici, filii et heredes: imitandum ergo sanctitatem et perfectionem Patris vestri celestis. *Ti ergo* refer partim ad proxime præcedentia de dilectione inimicorum.

eorum. *q. d.* Ethnici quoque diligunt, sed sibi amicos duntaxat: vos ergo, o fideles, qui estis amici filiique Dei, ideoque Ethnicis præstare debetis, diligite omnes tam inimicos, quam amicos, sicut Pater vester dilectionem suam ad omnes omnino extendit. Estote ergo perfecti proprie in dilectione et benignitate, ut neminem ab ea excludatis, sed cum dilatis et expandatis ad omnes tam inimicos, quam amicos, utque tam eos a quibus nihil speratis, quam eos a quibus aliquid expectatis, eadem complectamini: partim vero *ti ergo* refer ad omnia præcedentia. Hæc enim gnome est omnium hoc capite dictorum finis et complexio. *q. d.* Hucusque explicui Dei mandata scientiam perfectionem omnis virtutis. Estote ergo perfecti in mansuetudine, munditia cordis, patientia, castitate, charitate omniique virtute quam præcipit lex Dei que mandata.

Quæres, an perfectio hæsit consilii an præcepti? Respondetur partim esse consilii, partim præcepti. *Primo* enim præceptum est, ut quisque fidelis in Christianismo et suo statu conetur esse perfectus, ut scilicet perfecte diligat inimicos æque ac amicos, ac perfecte cætera omnia Dei mandata observet. Christus enim hic loquitur omnibus fidelibus, ut patet ex præcedent. Unde moraliter hinc discimus omnes Christianos obligari tendere ad perfectionem sui status, officii et gradus; hoc enim requiritur ut sint filii Patris celestis, ut ait Christus. Quisquis ergo cupit esse filius et hæres hujus Patris, eum imitari debet in perfectione. Itaque ut magne illius hereditatis deponenda spes est, aut si filiorum adoptionem tueri volumus, paternæ sanctitatis et perfectionis imitatione tendenda est, quia, ut ait S. Cyprianus, serm. *De Bono patientia*, filios, præsertim talis et tanti Patris, non decet esse degeneres. Quin et S. Jacobus, cap. 1, non religiosos, sed fideles omnes compellens: «Ut sitis, inquit, perfecti et integri, in nullo deficientes.» Et S. Petrus, I, *Epist.* cap. 1: «Et ipsi in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.» Imo Deus ipse ad Abraham: «Ambula, inquit, coram me, et esto perfectus.» *Genes. xvii.* Quisque ergo in suo gradu et officio debet esse exactus et perfectus, ut singula opera ad amussim rationis et legis perfecte faciat, juxta illud *Eccli. xxxiii, 23*: «In omnibus operibus tuis præcellens esto;» pluris enim fit præcellens grammaticus, quam medicis rhotor; ut audias illud sponsi de sponsa: «Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia Principis!» *Cant. vii, 1.* Quia si milites in prælio cupiunt esse strenuissimi, discipuli in schola doctissimi, mechanici in sua arte exactissimi, famuli in serviendo hero obsequentissimi, cur non et Christiani a Christo vocati ad sanctitatem et perfectionem, cupiant esse sanctissimi et perfectissimi? D. Theresia dicitabat Deum eos præ cæteris maxime amare, qui sunt perfecti, atque eos facere quasi capitaneos et duces cæte-

rorum, ut multos convertant, salvent et perficiant: unde ipsa votum fecit se in quolibet opere facturam id quod foret perfectus et ad inajorem Dei gloriam. Sic Noe, *Genes. vi*, «placuit Deo,» fuitque mundi diluvio perditæ restaurator, quia fuit «perfectus in generationibus suis et cum Deo ambulavit.» Vide S. Chrysostomum, lib. III *Contra Vituperationem Vitæ nasticæ*, ubi docet præcepta Christi tam seculares quam religiosos obligare, ideoque utrosque debere perfectioni studere, quemque in suo statu et gradu, juxta illud Dei ad Israel: «Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo,» *Deuter. xviii, 13*; et illud Pauli: «De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote,» *I Cor. iiii*, cap. xii; et: «Ut exhibeamus omnino hominem perfectum in Christo Jesu.» *Coloss. 1, 28.*

Secundo, perfectio hæc consilii est, quatenus se extendit ad observationem non tantum præceptorum, sed et consiliorum Evangelicorum, ut paupertatis voluntarie, castitatis et obedientie religiosæ, etc., de qua Christus: «Si vis perfectus esse, vade, vende que habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni, sequere me.» *Matth. xix, 21.*

Porro, perfectio hæc proprie consistit in charitate et dilectione, præsertim inimicorum. Hæc enim est perfectio viæ, cum perfectio patriæ consistat in visione et fruitione Dei. Magna autem debet esse hæc perfectio et sanctitas, præsertim in religiosis, quia magna est in Deo, cui se consecrarunt quæque imitari debent, ut jubeo hic Christus. Tacite insinuat Christus modum et rationem pertingendi ad perfectionem et sanctitatem eximiam esse, si quis se exerceat in dilectione inimicorum, tum quia hæc est summus et difficilis charitatis actus, tum quia hæc est eximia et summa victoria sui: nam talis generose vincit iram, vindictam cæterasque animæ passionis, totique animo suo potenter dominatur et imperat; tum quia Deus claritati et virtuti tam liberali longe liberaliorem rependit gratiam. Ita virgo illa sancta apud D. Taulerum, rogata qua ratione ad tantam sanctitatem pervenisset, respondit: «Eos qui mihi molesti vel infesti erant, singulari amore dilexi, atque illi a quo læsa fueram, peculiare semper beneficium contuli, quod alias ei non contulsem:» nimirum, hoc est ulcisci, vincere et obruere maleficentiam beneficiis. Hinc in Christo summæ virtutis fuit, in cruce orare pro suis crucifixoribus, dicendo: «Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.» Sic SS. Paulus et Stephanus perfecti evasere orando pro Judæis se lapidantibus et ad necem persequentibus, isque omni ope et opera prædicando et benefaciendo. Denique hæc perfectio maxime requiritur in Apostolo viroque apostolico. Nil enim ita movet animos infidelium ad credendum Christo, ac sanctitas prædicantium, que sæpe plus movet quam ipsa miracula. Audi S. Chrysostomum, *hom. 47 in Matth.*: «Magnos Apostolos

Verbo  
ho consi-  
te que-  
san?

efficit verus ac non simulatus gloriae atque pecuniae contemptus, et quoniam nullam saecularium harum rerum curam habebant. Nam, nisi hoc habuissent, et passionibus, veluti nos, servissent, etiam si morte innumeros homines suscitasset, non solum nihil utilitatis fecissent, sed etiam deceptorum nomen non effugissent. Vendi ergo disciplina est quae ubique fulget. »

SICUT ET PATER VESTER COELESTIS PERFECTUS EST. — Scilicet, perfecte omnes omnino diligit, omnibus tam malis quam bonis benefacit, in omnes diffundit radios suae bonitatis, quasi sol quidam perennis beneficentiae, qui a nemine quidquam commodi expectat, sed mero amore cupit sua bona aliis communicare, ita ut certet cum hominum malitia et ingratitude; pauci enim eum tam sui amantem et beneficentem redamant, uti par est. Vox sicut similitudinem significat, non aequalitatem; nec enim Dei perfectionem aequare possumus, sed illa in infinitum omnem nostram superat et transcendit; quare illam eminus imitari debemus quoad possumus. Praeclare S. Leo, serm. 1. *De Jejunio decimi mensis*: « Invenimus, inquit, hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris; et hanc esse naturalem nostri seminis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae bonitatis forma resplendet. » Praeclarum etiam in hac re illud Gregorii de illo Apostoli dicto, nos *Dei genese esse*: « Genus, inquit, hominum dicitur, non ex ejus natura editi, sed per spiritum illius voluntarie conditi, et adoptive recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur. » Ita S. Gregorius, lib. XX *Moral.*, cap. XVI.

Perfectionem ergo a Christiano hic exigit Christus, non humanam, sed divinam, Deique perfectioni similem, qualem scilicet pater exigit a filio. Ipse enim est pater noster, non tantum per naturam, sed et per gratiam; per hanc enim finis divinae consortes naturae, » ut ait S. Petrus: ideo efficitur vere filii Dei, ac quasi dii quidam terrestres. Quapropter illud, *Levit. xi, 44*, Christianis quasi speculum proponit S. Petrus, I. *Epist.*, 1, 16, dicens: « Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. » Et Paulus, *Ephes. v, 1*: « Estote, ait, imitatores Dei, sicut filii charissimi. » S. Joannes, I. *Epist.*, cap. 1, 1: « Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. » Praeclare S. Cyprianus, serm. *De Zelo et Livore*: « Si hominibus, inquit, laetum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successive respondeat; quanto magis in Deo Patre laetitia est, cum quis sic spiritaliter nascitur, ut actibus ejus et laudibus divina generositas praedictur? » Porro S. Augustinus, *epist. 85 ad Consentium*: « Cogitemus, ait, nos tanto similiores Deo, quanto esse pote-

rimus ejus participatione justiores. » Quocirca nervose Christiano simulat S. Leo, serm. 1. *De Nativitate*, dicens: « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, non in veterem vilitatem degeneri conversatione redire; memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum. » Nam, ut ait Paulus Atheniensibus, *Act. xvii, 30*: « Ipsius et genus sumus: genus ergo cum simus Dei, » etc.

Scrpsit in hanc sententiam S. Thomas (vel quisquis est auctor) opusculum *De Moribus divinis*, in quo docet fideles imitari debere Deum, ejusque mores divinos induere, atque sigillatim ejus veritatem, sapientiam, mansuetudinem, patientiam, justitiam, liberalitatem, clementiam caeteraque Dei attributa aemulari, et quoad potest creatura, sequi et imitari suum Creatorem.

Igitur perfectio Dei consistit: *Primo*, in amplissima omnium tam honorum, quam malorum dilectione, quod proprie spectat hic Christus.

*Secundo*, in mansuetudine, patientia, moderacione et temperie appetituum, ac quae inde consequitur, summa pace et tranquillitate animi, ut nulla eum tangat injuria, ira, vindicta, sitque *amabilis*, imperturbabilis et impassibilis; sic et nos, si velimus esse perfecti, debemus esse mansueti, tranquilli et, quoad fieri potest, imperturbabiles, ideoque mortificare iram caeterasque animi passiones. Unde S. Ambrosius, lib. *De Jacobo et Vita beata*, cap. VIII: « Perfecti viri est, inquit, quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, conflictus subire, et quasi providum gubernatorem navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando undas, quam declinando. » Et S. Cyprianus, lib. *De Bona patientia*, citatis hinc Christi verbis: « Sic, inquit, perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit et docuit caelesti nativitate reparatos, si patientia Dei Patris maneant in nobis, si similitudo divina, quam peccato Adam perdidit, manifestetur et luceat in actibus nostris. Quae gloria est similem Deo fieri, qualis et quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus possit aequari! »

Quocirca medium ad perfectionem singulare et efficacissimum est, si quis solenter indagat animae suae statum, et vitium radicale et principale, a quo caetera quasi fibrae e radice promanant; quo cognito, totis viribus illud assidue impugnet, donec exstipet; sic cito evadet perfectus: v. g. in Petro vitium radicale et dominans, a quo caetera pullulant, est superbia; in Paulo est gula, in Jacobo est luxuria, in Joanne est aedia, in Philippo est ira, in Andrea est tristitia, in Mattheo est pusillanimitas; quisque suum vitium cognoscat, et cognitum congruis armis et mediis mortificet; sic cito perfectus evadet. Quocirca S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. xxx, illud Sapient., cap. xix, de Deo dictum afferens: « Tu autem, Domine, cum tranquillitate iudicas; » haec adjun-

git: « Scendum est quidem nobis magnopere, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire conditoris conamur. »

*Tertio*, Deus terrena omnia ex alto veluti villa et exilia despicit, lotique caelo et caelestibus gloriose insidet et praesidet; ita et homo ad perfectionem aspirans, opes, delicias et honores terrenos, ob quos tot fiunt lites, rixae et bella, despiciere debet, ut res viles muscarum, culicum et pulicum, ac suspiciere et ambire caelestes, quae sunt Dei, Heroum et Angelorum. Quocirca S. Basilii, serm. 1. *De monachi et religiosi qui ad perfectionem aspirant institutione*, asserit illum. Qui seculo nuntium remisit, hoc imprimis cogitare, semperque animo versare debere, se jam ultra humane naturae fines processisse, seque ipsum ad instituto tradidisse, quod sit quam maxime a corpore sejunctum, ac propterea Angelorum conversationem imitandam suscepisse; siquidem hoc angelicae naturae proprium est, liberum esse a vinculis terrenis, nec omnino distrahi ad aliam ullam pulchritudinem contemplandam, sed oculos in Dei vultum assidue defixos habere.

*Quarto*, Dei mens et voluntas est aequissima, sanctissima et perfectissima; hanc ergo induere debemus, ut flamus similes Deo, imo unum cum Deo. Audi S. Bernardum, serm. *Ad Fratres de monte Dei*: « Unitas, inquit, spiritus cum Deo homini sursum cor habenti, proficientis in Deo voluntatis est perfectio, cum jam non modo vult quod vult; sed sic est non tantum affectus, sed in affectu perfectus, ut non possit velle, nisi quod Deus vult. Velle enim quod Deus vult, hoc est jam similem Deo esse; non posse autem velle, nisi quod Deus vult, hoc est jam esse quod Deus est, cui velle et esse idipsum est. »

*Quinto*, Deus est magno et celsio animo, qui super omnia transcendit, ac in sua felici et tranquilla aeternitate semper sibi constat et conquiescit, ideoque omnia ad se convertit et trahit; sic et nos excoelo animo prosperis omnibus et adversis eminare et dominari debemus; ita flamus quasi omnipotentes et divini, atque omnes et omnia convertentes ad nos, tanquam dii quidam terrestres, exalati a terra, et in caelum evecti.

Audi S. Bernardum, serm. *Ad Fratres de monte Dei*: « Est alia magis Deo propinqua similitudo, in quantum voluntaria, quae in virtutibus consistit, in qua anima virtutis magnitudine summi boni quasi imitari aequat magnitudinem, et perseve-

rantiae in bona constantia aeternitatis ejus incommutabilitatem. »

Idem, serm. 11 in *Canticis*: « Eris, inquit, inter adversa et prospera mutabilium temporum, tenens quendam aeternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconvulsam constantiae animi aequalitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vindicans tibi etiam in hujus mutabundi saeculi dubiis eventibus certisque defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis statum, dum te ceperis renovare et reformare in insigne illud antiquum similitudinis aeterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; quae sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. »

Et nonnullis interceptis, docens talem sibi indignum ducere conformari labenti saeculo, dignum revocari ad similitudinem Dei, ad quam creatus est, addit: « Ac per hoc etiam cogens, ut dignum est, saeculum istud quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi; dum omnia et cooperari in bonum incipiunt, tanquam in propria et naturali forma abjecta degeneri specie, recognoscentia Dominum suum, cui ad serviendum creata fuere. Unde arbitror illum sermonem quem dixit de se Unigenitus, videlicet, si exalaretur a terra, omnia traheret ad seipsum, cunctis quoque ejusfratribus posse esse communem, iis utique, quos Pater praesivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ego, si exalatus fuero a terra (quod aeter dico), omnia traham ad meipsum. Nec enim temerarie usurpo mihi fratris mei vocem, cuius me induo similitudinem. »

Porro, omnis hujus viva perfectio inchoata est duntaxat, et imperfecta; concupiscentia enim, cum Jebuseus, habitans in membris nostris, domari potest, extirpari non potest; sed plena et perfecta erit in caelo, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc beatam immortalitatem; tibi concupiscentia et mors absorbitur a gloria, ac Deus erit omnia in omnibus. I. *Corinth.* xv. Ibi enim nulla erit cupiditas, quia omnia occupabit charitas. Unde Apostolus, *Philipp.* iii, 12, de se ait: « Non quoad jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam. » Et mox: « Ad ea vero quae priora sunt, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu. » Scripsit haec de S. Augustinus, lib. *De Perfect. Justitia*, tom.